

dum illud scelus &c. 7. & 8. Celebratio Missarū vel auditio confessionum à non presbyteris ex constitutione Clementis VIII. quæ incipit : etsi alias 9. Falsificatio monetæ in Italia ex constitutione Urbani VIII. quæ incipit : in suprema.

DISPUTATIO XL.

De Indulgentiis.

Indulgentia hic non latissimè accipitur, prout complectitur etiam permissionè mali, quod quis posset & deberet impedire, nequelatius pro quacunque remissione debiti, quo sensu dicitur Isai. 61. *misi me ut ... predicarem captivis indulgentiam*, sed strictiùs pro condonatione pœnæ post remissam culpam alias debitæ factâ ab eo, qui habet potestatem dispensandi thesaurum Ecclesiæ. De quo

Suppono 1. In Ecclesia Catholica dari thesaurum primariò ex superabundantia meritorum & satisfactionum Christi, secundariò ex superfluis satisfactionibus B. M. V. & reliquorum electorum Dei coacervatum, ut definitur in extrav. unigenitus 2. de pœnit. & remiss. in quâ Clemens VI. de hoc thesauro Ecclesiæ ex meritis Christi relicto eleganter ità differit, *quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per beatum Petrum cœli clavigerum ejusque successores, suos in terris vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum & propriis & rationabilibus causis nunc pro totali nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debita tam generaliter quam specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent) verè pœnitentibus & confessis misericorditer applicandum, ad cuius quidem thesauri cumulum beata Dei Genetricis omniumque electorum à primo iusto usque ad ultimum merita adminiculum prestare nescuntur.* Hic igitur thesaurus quoad merita & satis-

factiones Christi applicatur nobis per Sacramenta & Missæ sacrificium, quoad merita & satisfactiones Sanctorum non aliter, quam per concessionem indulgentiarum (per quam etiam simul Christi merita nobis applicantur) applicari potest, prout certum est ex damnatione propositionis 60mæ. in Bajo à S. Pio V. & Gregorio XIII, damnatæ; *per passiones Sanctorum indulgentiis communicatas non propriè redimuntur nostra delicta, sed per communicationem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur*, accedit hæc fundamentalis ratio; Deus nullum meritum condignum relinquit sine præmio, sed operibus satisfactoriis Sanctorum nullum in ratione satisfactionum in Sanctis correspondet præmium, nempe remissio pœnæ; cum plurimæ fuerint Sanctorum satisfactiones, quibus non indigebant, eò quod vel sufficienter prius pro debito proprio satisfecissent, vel quod major fuerit satisfactio, quam pœnæ debitum, ut contingit in Martyribus atrocissima tormenta sustinentibus. Ergo licet operibus Sanctorum, ut sunt meritoria, abundans compensetur merces, ut tamen sunt satisfactoria, applicantur & profunt membris satisfactione indigentibus, & per se non sufficienter satisfaciuntibus.

Suppono. 2. Antiquissimum esse in Ecclesia indulgentiarum usum; quia Sancti Patres faciunt mentionem condonationum ab Episcopis factarum ob merita & intercessiones Martyrum imploratorum ab iis, qui tempore persecutionum lapsi erant & Bonif. VIII. in extrav. 1. de pœnit & remis. testatur. *Antiquorū habet fida relatio, quod accedentibus ad honorabilem basilicam principis Apostolorum de urbe concessa sunt magna remissiones & indulgentia peccatorum. Dedit quoque indulgentiā Apost. 2. ad Cor. 2. propter intercessio-*

interce
 agenti
 condon
 ego, m
 ter vor

Qu

D

datu

25. A

P

est e

pecc

thor

com

vag.

missi

la ob

quid

impr

di pe

nitate

foro l

nem si

maxir

tum in

ram l

plere.

stas co

self. 2;

conferen

fit, atq

intercessionem Corinthiorum seriam pœnitentiam agenti incestuoso illud, quod supererat pœnitentiæ condonando ità v. 10. *cui autem aliquid donastis Ego, nam Ego, quod donavi, si quid donavi: propter vos in persona Christi.*

QUESTIO I.

Quid sit indulgentia, quotuplex & quid jubileum?

DICO I. *Qui indulgentias suscipit, non absolvitur, simpliciter loquendo à debito pœna, sed datur sibi, undè debitum solvat. S. Th. in suppl. Q. 25. A. 1. ad. 2.*

Probatur Conclusio ex definitione indulgentiæ: est enim indulgentia remissio pœnæ temporalis pro peccatis Deo debitæ extrà Sacramentum facta auctoritate Ecclesiæ ex meritis Christi & Sanctorum in communi thesauro Ecclesiæ contentis; arg extravag. unigenitus 2. de pœnit. & remiss. Dicitur: remissio non tantum pro foro Ecclesiæ, ut tollatur sola obligatio implendi pœnitentiam injunctam, ut quidam antiqui censuerunt sed etiam pro foro Dei, imprimis enim non deest Ecclesiæ potestas remittendi pœnam absolutè non tantum in ordine ad immunitatem à pœnitentia injungenda, sed etiam pro foro Dei, deindè verba generalem illam remissionem significant, igitur non debent aliter explicari, maximè cum absurdum esset, relaxare solum debitum implendi pœnitentiam relicto reatu pœnæ coram Deo, cum tunc utilius foret pœnitentiam implere. Quod autem sit in Ecclesia talis potestas concedendi indulgentias. Definitum est in Trid. sess. 23. in decreto de indulgent. Cum potestas conferendi indulgentias à Christo Ecclesia concessa sit, atque hujusmodi potestate diviniùs sibi tradi-

ta antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit: sacrosancta synodus indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem & sacrorum Conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendum esse docet & precipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.

Fundamentum ex sacra scriptura dant illa Christi verba Matth. 18. v. 19 Quibus Petro conceditur generalis potestas solvendi quaecunque vincula remanentia à consecutione vitæ æternæ: quodcunque solveris super terram erit solutum & in cælis, sed reatus pœnæ temporalis est aliquod vinculum, quod tollitur per indulgentias, ergo solutio per indulgentias facta valet etiam quoad Deum, sicut condonatio Apostoli facta incestuoso corinthio fuit in iudicio Christi ita rata ac si Christus ipse donasset.

Obj. Indulgentiæ repugnant iustitiæ Dei, quæ exigit nemini remitti pœnas, nisi pro illis fuerit satisfactum.

R. Indulgentias esse convenientes tum misericordiæ Dei, in quantum misericorditer per ministros Deus pœnas relaxat; tum iustitiæ, in quantum pœnæ illæ verè solvuntur & compensantur ex superabundantibus satisfactionibus Christi & Sanctorum.

Neque dicas meritis Christi, utpote infinitis nullam posse fieri per merita Sanctorum additionem; quia licet valori intensivo meritorum Christi, à quo omnia aliorum merita suum valorem obtinent, non possit fieri additio, ut ea fiant magis meritoria, possunt tamen opera ipsa meritoria multiplicari ac ita valor ille extendi, simulque meritis Sanctorum correspondere remissio pœnæ per indulgentias, tum ne valor ille satisfactorius sit otiosus, tum ut Sancti hoc honore gaudeant, tum ut valor meritorum Christi magis elu-

elucescat
expiativa
tribuere
catis ali
Christus
possunt d
solus hor
omnis vi
ex meriti

Q.

sa, qu
honore

R.

gitima

causa r

miss. &

volunt

thefau

Corin

& diffi

cum ra

ad esse

orent p

festum

bus pen

denter s

spiritual

sam pec

esset, t

ex parte

pro illo

bet, & u

opera pr

DICO

QUANTUM

elucescat, quæ non tantum per se sunt peccatorum expiativa, sed etiam aliorum operibus hanc efficaciam tribuere possunt, ut sint expiativa pœnarum pro peccatis alienis remissis debitarum. Undè & solus Christus est redemptor hominum, non verò Sancti possunt dici hominum redemptores, non tantum quia solus homines eripuit à reatu culpæ, sed etiam, quia omnis vis satisfactoria pro pœnis ad opera Sanctorum ex meritis Christi derivata est.

Q. An indulgentiæ valeant si concedantur sine causa, quæ juxtà S. Th. est pietas, quæ comprehendit honorem Dei & proximi utilitatem.

R. Negativè sed ad valorem indulgentiæ præter legitimam auctoritatem, de quâ Quæst. seq. requiritur causa rationalis ex Cap. cum ab eo. de pœnit. & remiss. & extravag. unigenitus eod. tit. Ratio hujus est voluntas Christi: quia enim Papa non est Dominus thesauri Ecclesiastici, sed dispensator juxtà id 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei*; sed dispensatoris est cum ratione disponere de rebus Domini, ergo debet adesse causa non tantum pia & honesta v.g. ut fideles orent pro communi Ecclesiæ bono, ut sanctiùs agatur festum aliquod, sed etiam proportionata, ità ut omnibus pensatis possit ex indulgentiarum concessione prudenter sperari major honor Dei & hominum utilitas spiritualis, quam alioquin esset speranda per rigorosam peccatorum punitionem; & licet fortè in re non esset, tamen debet esse in æstimatione concedentis; ex parte lucrantis indulgentias requiritur status gratiæ pro illo tempore, quo indulgentiæ lucrum acquiri debet, & ut præstet ex intentione lucrandi indulgentias opera præscripta.

DICO 2. *Indulgentiæ simpliciter tantum valent, quantum predicantur, dummodo ex parte dantis sit*

authoritas & ex parte recipientis charitas & ex parte causa pietas. S. Th. in suppl. Q. 25. A. 2. O.

Explicatur Conclusio: subsistentibus conditionibus indulgentiæ dependent à voluntate concedentis, ergò tantum valent, quantum concedens eas vult valere, vult autem concedens eas valere, secundum quod prædicantur & secundum hoc indulgentia alia est totalis, alia partialis, indulgentia *totalis* sive *plenaria* est, per quam remittitur tota pœna temporalis debita post remissam culpam, & hæc quoad pœnæ remissionem non differt à jubilæo, sed ratione solemnitatis alicujus, & facultatum specialium absolvendi & dispensandi seu commutandi vota & eligendi Confessarium; *partialis* vel *non plenaria* est, quæ per se loquendo, non tollit integram pœnam, sed partem, hæc rursus vel est determinata, cum conceditur remissio certorum v.g. 40. dierum vel septem aut 100. annorum vel indeterminata, dum conceditur remissio quoad dimidiam aut tertiam vel quartam partem pœnæ debitæ; cæterum nomine indulgentiæ v.g. 40. dierum aut septem annorum non significatur extinctio pœnæ tot diebus vel annis alioquin solvendæ in purgatorio, sed antiquitus decernebant Canones certos pœnitentiæ dies vel annos v.g. septem annos Can. hoc ipsum 11. *Caus. XXXIII. Q. 2.* pro variis vero criminibus assignabantur dies 40. cum jejunio in pane & aquâ, quod dicebatur Carena à carendo scil. cibo & potu hominumque consortio ex Can. in capite 64 dist L. Si ergo Pontifex concedat indulgentiam quadragenam, tantum indulget de pœna, quantum remissum fuit per illam quadragenam pœnitentiæ.

Deinde indulgentia totalis & partialis subdividitur in realem localem & personalem. *Realis* conceditur alicui rei mobili; ut Rosario vel imagini benedictæ, *lo-*
calis

calis at
visitatio
personi
sodalib
DIO
lam ac
illum ac
ritate r
4. de p
Ex
num
gentia
tate &
à cent
talis i
quolib
to ant
tibus.
dum c
VI. re
2. de
tum IV
hoc ve
hoc Ju
ne dar
rum in
fumi &
Ordina
Jubilæ
tatis De
sequen
ni vero
sitent Ec
Laterane
tius Chri

talibus attribuitur certo loco, quam homines talia loca
 visitantes lucrantur, *personalis* directè tantum datur
 personis abstrahendo à loco: ut religiosis talis ordinis,
 Sacerdotibus talis confraternitatis.

DICO 3. *Paulus Papa secundus... annum Jubilæum ad brevius tempus providâ moderatione reducens
 illud ad annum vigesimum quintum Apostolicâ autho-
 ritate restrinxit.* Sixtus IV. in extrav. quemadmodum
 de pœnit. & remiss.

Explicatur: Jubilæum, cujus reductionem ad an-
 num 25^{um} conclusio continet: definitur indul-
 gentia plenaria concessa cum quâdam universali-
 tate & appendice privilegiorum ut potestatis absolvendi
 à censuris, à casibus reservatis, commutandi vota &c.
 talis indulgentia temporibus Bonifacii VIII. dabatur
 quolibet anno sæculari sive centesimo omnibus illo to-
 to anno Jubilæi vel sancto limina Apostolorum visitan-
 tibus, & interea omnes indulgentiæ per totum mun-
 dum concessæ erant suspensæ, deindè per Clementem
 VI. reductus est annus 100. ad annum 50. Extravag.
 2. de pœnit & remiss. demum per Paulum II. & Six-
 tum IV. determinatus fuit pro Jubilæo anno 25^{us} &
 hoc vocatur Jubilæum ordinarium. Solent etiam præter
 hoc Jubilæum ex speciali summi Pontificis concessio-
 ne dari plenariæ indulgentiæ adinstar Jubilæi, qua-
 rum indulgentiarum modus ex tenore concessionis de-
 sumi & observari debet, undè duplex est Jubilæum
Ordinarium vel Romanum, & Extraordinarium;
 Jubilæum ordinarium incipit à primis Vesperis nativi-
 tatis Domini ac in primis Vesperis ejusdem festi anno
 sequenti desinit, & requirit, ut Romani per 30. peregri-
 ni vero per 15 dies sive continuos sive interpolatos vi-
 sitent Ecclesias Apostolorum Petri & Pauli, S. Joannis
 Lateranensis & S. Mariæ Majoris. 2. ibi orent pro to-
 tius Christiani populi salute & concordia. 3. Faciant
 Sacram

Sacram Confessionem; hoc Jubilæum addit plenariis indulgentiis potestatem eligendi confessarium, qui possit absolvere ab omnibus peccatis & censuris, commutare vota & componere super ablatis incertis seu modo illicito extortis, quæ compositio bonorum injustè acquiritorum in eo consistit, ut confessarius in tali Jubilæo possit remittere & condonare vel ex toto vel ex parte, prout judicaverit expedire, debita à pœnitente contracta per usuram, rapinam furtum aliosve illicitos modos, dum nescit pœnitens, quibus in specie obligatus sit, vel ob distantiam loci aut gravis infamiae metum non potest satisfacere; durante hoc Jubilæo suspenduntur per totum orbem omnes indulgentiæ plenariæ pro vivis ob rationem insinuatam in extravag. quemadmodum 4. de pœnit. & remiss. ne fideles, dum alibi possent consequi indulgentias plenarias, removeantur ab accessu ad limina Apostolorum, non tamen pro mortuis nec pro morientibus concessæ, in quibus hæc ratio non militat, uti ne in indulgētiis non plenariis, quæ propterea in anno sancto non suspenduntur. Suspenduntur etiam hoc anno facultates absolvendi à reservatis sedi Apostolicæ & dispensandi vel commutandi vota non quidem generaliter sed juxta declarationem Clementis VIII & Urbani VIII. concessæ in ordine ad plenarias indulgentias, hæc tamen facultates sicut & indulgentiæ hoc anno suspensæ eo finito absque ullâ Pape renovatione redeunt, ut constat tum ex Bullâ Clementis VIII. quæ expressè addidit indulgentiarum suspensioni, ut teneret durante anno sancto, tum ex communi praxi & consuetudine, tum ex consensu Doctorum.

Jubilæum extraordinarium est rursus duplex, primum concedi solitum ad petitionem Episcoporum altero anno post Jubilæum Romanum exigit, ut fideles intersint processionibus ab ordinario indicendis vel Ec-

clesias

clesias
exaltat
Christi
peraga
Secund
quâ gr
tum rec
riis at
confes
Dom
dam
bilari
Q
solea
R
prou
opor
bath
pleri
ad jeju
neces
bueni
Eleém
aliud e
cultate
confesse
mosyna
nomine
synas,
domad
mosyn
& voli
Eleém
egenos
præscrib

clesias designatas visitent, ibique preces fundant pro exaltatione fidei & hæresum extirpatione, principum Christianorum pace & concordia, confessionem peragant ac communionem Sacram percipiant. secundum post Coronationem S. Pontificis vel in aliqua gravi necessitate per duas hebdomadas indici solum requirit præter visitationes Ecclesiarum jejunia Feriis 4^{tâ} 6^{tâ} ac Sabbatho, Eleëmofynarum largitiones, confessionem & communionem in primo vel secundo Dominico alterove die ex dictis hebdomadibus pergendam; de conditionibus & facultatibus utriusque Jubilæi

Q. I. Quænam pro extraordinario Jubilæo exigantur soleant opera?

R. Sequentia; primò visitatio certarum Ecclesiarum prout describitur in Bullâ, cujus tenorem exactè servare oportet. 2. Jejunium in Feriis quartâ, sextâ & Sabbatho; circa quod obtinuit usus & consuetudo ut impleri valeat, dum aliàs tenentur fideles sub præcepto ad jejunium. 3. Eleëmofynæ, quæ non debent esse necessariò proportionatæ divitiis & statui eas distribuentis, quando Pontifex in Bullâ Jubilæi præscribit Eleëmofynam ad libitum, prout suggererit charitas; aliud est si jubeat Eleëmofynas dare pro cujuslibet facultate. Hæ verò Eleëmofynæ commutari debent à confessariis in alia pietatis opera quoad eos, qui Eleëmofynam dare nequeunt v. g. religiosos, nisi prælatus nomine omnium ex bonis communibus faciat Eleëmofynas, quo tamen casu oporteret singulos intra hebdomadam Jubilæi id scire & ratum habere: cum Eleëmofyna sit actio moralis, ad quam requiritur cognitio & volitio quodammodo influens, eadem est ratio de Eleëmofynis in alia opera pietatis commutandis circa egenos, denique si in Bullâ Jubilæi indeterminate præscribatur Eleëmofyna & oratio ac visitatio Ecclesiæ
suffi-

sufficit id semel fecisse. 4. Confessio quæ, an requiratur solum ut dispositio vel ut opus injunctum, est incertum & desumendum ex tenore Bullæ, quæ si exprimat concedi indulgentias Jubilæi illis, qui confessionem fecerint, requiritur, ut opus injunctum, proinde etiam ab illis est peragenda, qui nulla habent peccata mortalia nondum confessa, si verò requiratur ut dispositio, qualiter regulariter in Jubilæo requiri probabilius est, eò quod censeatur Pontifex illam adjungere, ne inutilis sit indulgentiarum concessio, tunc solis illis, qui in statu peccati mortalis certò vel sub dubio sunt, confessio est necessaria. 5. Requiritur communio, quæ ita est necessaria, ut pueri qui ratione ætatis non admittuntur ad Sacram Communionem, non potantur Jubilæo; nisi posset permutari in aliud opus pium, aliàs determinatè requiritur communio, sufficit verò licet aliunde v. g. in Paschate sit præcepta. Probabile autem est ex communi fidelium usu communionem & confessionem posse fieri pro lucrands indulgentiis Dominicâ sequente posteriorem Jubilæi hebdomadam; quia hæc censetur esse terminus præcedentis, & initium sequentis hebdomadæ. Similiter videtur probabilius, quod non sit necessarium pro consecutione Jubilæi, ut omnia opera præscripta eadem hebdomadâ fiant; cum verba concessionis Jubilæi tantum videantur exigere, ut opera præscripta perficiantur intra duas Jubilæi hebdomadas. 6. Cum (ut supponitur) in Bullâ Jubilæi non caveatur, quod opera omnia præstari debeant in loco, ubi publicatum est Jubilæum; si quis in loco domicilii, ubi publicatum est Jubilæum, astitit processionem aut visitavit Ecclesias designatas, obtinebit Jubilæum, etsi alibi, ubi non est promulgatum Jubilæum, faciat opera jejunii, Eleëmossynæ, confessionis, idem est de eo, qui in itinere pervenit ad locum, ubi promulgatum est Jubilæum, ibique visitat Ecclesias

fias d
locis
Jubila
jus lu
facta e
designa
depend
nionu
gener
Q
possi
B
aut
quo
etiam
quæ
missa
Eccl
alia
impo
com
ut no
indul
conce
2.
possi
prorog
ria Pe
mutat
Q
nario
R
cultas
approb
& cens

fiat designatas, & reliqua opera in quibuslibet aliis locis prosequitur: quia licet ab initio promulgati Jubilæi non fuerit ibi præsens, statim tamen acquiritur lucrandi Jubilæum, quando existit in loco, ubi facta est Jubilæi promulgatio, ibique visitat Ecclesias designatas; practicè verò cum indulgentiarum lucrum dependeat tantum à voluntate concedentis, nec opinionum probabilitas juvare possit, si revera falsæ essent, generaliter eligendum est tutius.

Q. 2. Quibus & quæ opera in Jubilæo præscripta possint commutari?

R. 1. Regularibus nec non detentis in captivitate, aut præpeditis infirmitate aliove impedimento, ob quod non tantum fidelis est physicè impotens, sed etiam patitur in exequendo notabilem difficultatem, quæ excusaret à transgressione præcepti v. g. audiendi missam, possunt commutari jejunia, Eleëmofynæ, Ecclesiarum visitatio ac interventus in processibus in alia opera pia æqualia, nisi fortè ob infirmitatem sit impotens pœnitens ad ejusmodi præstanda, aliàs non commutatio sed partialis dispensatio necessaria foret, ut non impletis hujusmodi operibus nihilominus possit indulgentia obtineri, quæ dispensatio ad superiorem concedentem pertinet.

2. Confessio tamen & communio commutari non possunt, licet possint navigantibus & iter facientibus prorogari in proximum tempus opportunum, ita variæ Pontificum Bullæ; porro hæc prorogatio & commutatio potest etiam extra confessionem fieri.

Q. 3. Quænam facultas in hoc Jubilæo extraordinario concedatur?

R. 1. Præter indulgentiam plenariam confertur facultas eligendi confessarium ex quibuslibet ab ordinario approbatis, qui possit absolvere ab omnibus peccatis & censuris etiam in Bullâ Cœnæ contentis etiam hæresi

ex stylo curiæ Romanæ declarantis, hæresin contentam esse sub generali concessione absolvendi in Jubilæo à casibus Bullæ Cœnæ, nisi expressè excipiatur.

2. Potest talis confessarius etiam in alia pietatis opera commutare omnia vota excepto religionis approbatæ & perpetuæ castitatis, hæc tamen commutatio faciendâ est in opus æquale v. g. vovit quis peregrinationem Romanam eamque pedestrem, huic potest iter unius diei commutari in unius diei jejunium, quoad expensas vero in itinere faciendas, potest injungi, ut distribuat pauperibus, alius vovit non inire matrimonium, hujus voti commutatio fieri potest in confessionem singulis mensibus per biennium aut triennium faciendam.

3. Potest hæc absolutio & commutatio concedi, antequam opera requisita pœnitens exequatur, modo habeat intentionem lucrandi Jubilæum, non tamen post Jubilæum, nisi tempore Jubilæi per pœnitentis petitionem fuerit aliquo modo inchoata & ad rem maturiùs discutiendam dilata post Jubilæum, nec potest hæc absolutio & commutatio fieri in secundâ hebdomadâ, si in primâ lucratus fuerit Jubilæum & novum casum reservatum vel votum contraxerit; nisi de novo lucretur indulgentias Jubilæi: quia facultas absolvendi à reservatis & commutandi vota in Jubilæo non conceditur, nisi occasione indulgentiarum.

Q U Æ S T I O II.

Quomodo indulgentia applicanda defunctis?

DICO I. *Non est aliqua ratio, quare Ecclesia transferre possit communia merita, quibus indulgentia innituntur, in vivos & non in mortuos.*
S. Th. in suppl. Q. 71. a. 10. O.

Probatum: Non est ratio, quare membris ad communionem Ecclesiæ pertinentibus ab Ecclesiâ bona
com-

com
cia;
adhu
mysti
huc r
pressa
dulge
ra pe
Leo
Eccle
den
C
rem
dict
ut p
cum
etor
B
gent
enit
vale
Oris i
D
quar
in sup
E
indul
modu
suffrag
i m
tur à
& iud
pro pe
nibus
profune
III,

communia concedi non possint, quorum sunt capacia; atqui defuncti in statu gratiæ temporalibus pœnis adhuc detenti pertinent ad Ecclesiam velut Corpus mysticum, & sunt capaces indulgentiarum: cum adhuc temporalibus pœnis obstricti sint; ergo si fiat expressa mentio de defunctis, ut eis applicari possint indulgentiæ, prosunt eisdem indulgentiæ per vivos opera præscripta præstantes applicatæ. Ita declaravit Leo X. in Bullâ editâ contra Lutherum, & probat Ecclesiæ ac summorum Pontificum usus passim concedentium indulgentias pro defunctis.

Obj. Alex III. in cap. quod autem 4. de pœnit. & remiss. inquit de certis indulgentiis: *Remissiones prædictas prodesse illis tantummodò arbitramur, quibus ut prosint proprii Judices specialiter indulserunt.* Ergò cum concedentes indulgentias non sint iudices defunctorum, indulgentiæ defunctis non prosunt.

¶ Quod S. Pontifex in cap. cit. loquatur de indulgentiis, quæ prosint per modum absolutionis. Addit enim pro ratione: *Cum à non suo iudice ligari nullus valeat vel absolvi*, taliter verò non prodesse defunctis indulgentias, mox patebit.

DICO 2. *Faciens indulgentias solvit pœnam pro eo, quam debuit, de bonis Ecclesiæ communibus.* S. Th. in suppl. Q. 25. a. 1. ad 3.

Explico: Ecclesia & vivis & defunctis concedendo indulgentias eos à pœnâ reddit liberos, sed vivos per modum iudiciariæ absolutionis, defunctos per modum suffragii.

1^a Pars probatur: Indulgentiæ quæ conceduntur à summo Pontifice, qui procedit tanquam superior & iudex illius, qui absolvendus est. quemque à debitâ pro peccatis pœnâ absolvit. oblatâ Deo ex satisfactionibus Christi & Sanctorum sufficiente satisfactione, prosunt per modum iudiciariæ absolutionis; sed hoc

III. Parsis Theol. Schol. suppl.

B b

modo

concedi.
Jubilæo

pietatis
s appro-
mutatio
egrina-
test iter
, quoad
ungi, ut
matrimo-
confessio-
riennium

concedi,
r, modo
on tamen
pœnitentis
& ad rem
, nec po-
undâ heb-
im & no-
it; nisi de
acultas ab-
in Jubilæo
rum,

ntis?

e Ecclesia
quibus in-
mortui.

s ad com-
fisiâ bona
com-

modo indulgentiæ conceduntur vivis Ecclesiæ subiectis; ergo.

2da Pars probatur: Illis profunt solum indulgentiæ per modum suffragii, in quos Ecclesia & summus Pontifex jurisdictionem non habet, offert tamen Deo satisfactiones ex thesauro Ecclesiæ; sed in animas existentes in purgatorio summus Pontifex non habet jurisdictionem; cum ei dictum sit: quodcunque solveris super terram &c. reatus vero animarum in purgatorio non est super terram, ipsis tamen applicantur satisfactiones ex thesauro Ecclesiæ summo Pontifici creditæ; ergo.

Obj. Ecclesia habebat jurisdictionem in defunctos, quando reatum pœnæ contraxerunt, ergò oblata pro ipsis satisfactione potest eosdem per modum judiciariæ absolutionis à pœnâ liberare: adde quod Ecclesia defunctos excommunicet & ab excommunicatione absolvat.

R. Ad 1. quod mutando statum viæ etiam deserint subesse iudicio Ecclesiæ defuncti quoad pœnam: cum hæc non in præsentis sed in futuro sæculo subeunda sit.

Ad 2. excommunicatio & absolutio ab excommunicatione respectu defunctorum eos non ligat nec solvit directè, sed tantum obligat vivos, ne cum defunctis communicent, & absolvendo eandem obligationem quoad vivos tollit.

Q. 1. Quænam conditiones requirantur, ut indulgentiæ defunctis profint?

R. 1. Ex parte viventis requiritur, ut exequens opera injuncta (probabiliter etiam in statu peccati, nisi in litteris aliud exprimat) indulgentias à legitimo superiore summo videlicet Pontifice pro defunctis concessas, defunctis applicet, vi cujus applicationis prodest tantum illis indulgentia, quibus applicatur,

D
tamen
secunda
2. 3. O
ut

ut communis est fidelium sensus & ipsa natura valoris satisfactorii habet, ut profit illi particulariter, pro quo satisfactio offertur.

2. Ex parte defuncti non requiritur, ut singularis in ipso vivente fuerit devotio ad claves Ecclesie & studium juvandi defunctos: quia nullum illius conditionis adferri potest solidum fundamentum, & meruerunt antecederent in vitam per hoc, quod decesserint in gratiam, ut sibi post mortem vivorum suffragia prodesse.

3. Requiritur certò in defuncto status gratie, probabiliter etiam Character Baptismalis ex hac ratione: quia non est verosimile, quod summus Pontifex acceperit potestatem ex thesauro Ecclesie solvendi pro iis defunctis, quibus dum viverent, absolutionis beneficium impendere non potuisset. His conditionibus positis infallibiliter profunt indulgentie illis defunctis, quibus à vivente applicantur: cum nullum adsit impedimentum, nec ulla sit ratio, quare Deus illas indulgentias non acceperit.

Dices: Si lucrans indulgentias eas possit applicare defuncto, sequitur quod talis, qui sæpè laicus vel fœmina est, possit dispensare thesaurum Ecclesie.

R. Negando seq, non enim dispensatio thesauri sed tantum designatio defuncti tali committitur, quâ designatione facta Pontifex immediate & directe indulgentiam applicat & autoritative solutionem ex thesauro Ecclesie donat.

Q U Æ S T I O III.

Quinam possint indulgentias dare?

DICO: Potestas faciendi indulgentias plenè residet in Papâ: quia potest facere quot vult, causâ tamen existente legitimâ sed in Episcopis est taxata secundum ordinationem Papæ. S. Th. in suppl. Q. 26.

2. 3. O.

1ma Pars probatur: In illo residet plenaria potestas dandi indulgentias, cui Christus tanquam suo Vicario plenitudinem potestatis reliquit; sed summo Pontifici tanquam suo Vicario in personâ Petri plenitudinem potestatis Christus reliquit dicendo: tibi dabo claves regni cœlorum, quodcunque solveris &c. unde hæc potestas etiam generali Concilio non competit, nisi ut conjuncto suo capiti, ut Clemens VI. in Extravag. unigenitus 2. de pœnit. & remiss. his verbis insinuat: *Quem quidem thesaurum... per beatum Petrum cœli clavigerum ejusque successores, suos in terris Vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum.*

2da Pars: Patet ex cap. quod autem 5. & cap. cum ex eo 14. de pœnit. & remiss. ubi potestas Episcoporum ita restricta est, ut Episcopus unicum tantum annum indulgentiarum possit concedere in dedicatione Ecclesiæ, in hujus vero anniversario vel aliis solemnitatibus 40. tantum dies, non defunctis sed solis vivis, nec possit eam concedere non subditis: ex quo sequitur hanc potestatem ordinariam quidem esse utpote annexam officio & dignitati Episcopali, & hinc delegabilem, non tamen ex jure divino, sed tantum ex jure Ecclesiastico competere, alioquin à S. Pontifice ita restringi non potuisset; quia tamen concessio indulgentiarum est actus jurisdictionis voluntariæ, hinc potest exerceri in subditos etiam extra proprium territorium existentes; circa alios nempe Cardinales, summi Pontificis pœnitentiarium &c. attendenda est consuetudo & commissio ipsis à summo Pontifice facta.

Obj. Concilium generale potest plenarias indulgentias concedere pro totâ Ecclesiâ tum quia representat totam Ecclesiam cui thesaurus indulgentiarum datus est. Tum quia Concilium Basileense de facto sess. 24. concessit plenariam indulgentiam, tum quia

vacan-

vacante sede Pontificiâ sine summo Pontifice potest leges universales pro totâ Ecclesiâ condere.

R. Ad 1. quod thesaurus indulgentiarum sit quidem in utilitatem totius Ecclesiæ concessus sed non per totam Ecclesiam, verum per Christi Vicarios dispensandus.

Ad 2. Quod Basileensis Concilii in Conciliabulum degenerantis nulla sit autoritas.

Ad 3. disparitas est, quod vacante sede Pontificiâ necessaria sit potestas ferendi pro illo tempore leges totam Ecclesiam obligantes, non verò potestas concedendi indulgentias.

Q. 1. An ad concessionem indulgentiarum requiratur character Episcopalis?

R. Negativè: quia concessio indulgentiarum non est actus ordinis, sicut remissio pœnæ intrâ Sacramentum pœnitentiæ, sed est actus jurisdictionis.

Q. 2. An Prælati regulares & Parochi suis possint concedere indulgentias?

R. Negativè juxtâ S. Th. in suppl. Q. 26. a. 1 & cap. accedentibus 12. de excess. prælat. lib. 5. tit. 31. in quo Innoc III. arguit prælatos regularium concedentes indulgentiarum litteras. Communicatio autem bonorum spiritualium congregationis religiosæ non est dispensatio thesauri Ecclesiæ, unde non est indulgentia.

Q U Æ S T I O IV.

Quamdiu valent indulgentiæ & pro quibus?

Suppono: Indulgentiæ tanquam favorabiles latè sunt interpretandæ, clausulæ vero restrictivæ strictè, undè monent authores hanc clausulam: *Dummodo alias similis indulgentia concessa non fuerit*: esse accipiendam de concessione facta ab eodem Pontifice, quoties non apponitur dictio: *sedis Apostolicæ*, sed pro

intelligendâ generaliter cessatione & extensione indulgentiæ.

DICO 1. *In arbitrio dantis indulgentiam est, taxare quantum per indulgentiam de peccatâ remittatur.* S. Th. in suppl. Q. 26. a. 2. ad 1.

Probatur: Indulgentiæ dependent à voluntate concedentis; ergo eousque & tamdiu valent, quousque & quamdiu eas valere vult concedens, unde valent pro tempore & loco pro quo concedens vult illas valere.

Ex quo sequitur, quod cessent generaliter indulgentiæ per revocationem concedentis, non tamen cessant per hujus mortem aut per renuntiationem illius, cui fuerant concessæ, tum quia principis beneficium decet esse mansurum R. J. 16. in 6. tum quia favor indulgentiarum dependet ex applicatione thesauri Ecclesiastici, cuius applicationis valor dependet ex voluntate habentis claves, non verò illius, cui concessa est indulgentia;

Sequitur ulterius indulgentias reales & locales cessare per destructionem rei vel loci, cui annexæ erant, si locus sine spe reedificationis destruat; quod addo: quia licet destrueretur locus physicè, si tamen esset mox reedificandus, permaneret moraliter, consequenter etiam remanent indulgentiæ tali loco annexæ.

DICO 2. *Tam secularibus, quam religiosis valent indulgentiæ, dummodo sint in charitate, & serue ea, quæ pro indulgentiis indicuntur.* S. Th. in suppl. Q. 27. a. 2. O.

Probatur: Quibus remittuntur peccatæ temporales ob solutionem ex thesauro Ecclesie factam, illis valent indulgentiæ; atqui tam secularibus quam religiosis remittuntur peccatæ temporales ob solutionem ex thesauro Ecclesie factam, dummodo sint in statu gratiæ; quia nemini remittitur peccata, cui nondum est remissa culpa; deinde si impleant opera injuncta, tum quia
talis

talis est intentio ejus, qui concedit indulgentias, sine quâ nulli profunt, cum quia opera injuncta sunt conditio, sub quâ promittitur indulgentiarû effectus, corruit verò promissio conditione non impletâ, undè licet ob impotentiam aliquibus operibus factis reliqua impleri non possent, non profunt indulgentiæ, nisi concedens aliud expresserit, aut dederit potestatem illa opera in alia commutandi, de qua commutatione supra dictum est.

Obj. Religiosi plures sunt à jurisdictione Episcoporum exempti; ergo saltem ab Episcopis concessæ indulgentiæ ipsis tanquam non subditis non profunt.

R. Religiosos esse exemptos quoad favores N. quoad gravamina Con. non fuit intentio nec summi Pontificis concedentis nec religiosorum obtinentium exemptionem, ut hæc cederet in dispendium sed in commodum, consequenter in favorabilibus exemptio talis non obstat, quominus ea participant religiosi.

Q. 1. An peccatum veniale impediatur consecutionem indulgentiæ?

R. Si peccatum veniale comitetur ipsum opus injunctum, sed illud non vitiet v. g. si jejunans simul officiosè mentiatur, non impedit consecutionem indulgentiæ sive remissionem pœnæ, nisi illi peccato debitæ, cum nullum peccatum veniale quoad pœnam remittatur, quamdiu affectus ergà illud non retractatur, unum autem peccatum veniale sine alio remitti possit, si verò ipsum opus injunctum sit venialiter malum, impeditur consecutio indulgentiæ: quia tale opus non potest esse dispositio ad obtinendam indulgentiam.

Q. 2. An opera injuncta debeant fieri in statu gratiæ, ut obtineantur indulgentiæ?

R. Negative, nisi aliud in litteris exprimatur,

quia sæpè opera illa per plures dies continuanda sunt, quæ moraliter ab omnibus in statu gratiæ fieri non præsumit summus Pontifex: ut in Jubilæo Romano visitatio Ecclesiarum per triginta dies, etiam præter opera alia requiritur sæpè confessio antecedens vel subsequens, ergo non supponitur, omnia opera fieri in statu gratiæ, sed quando indulgentiæ effectus, qui in fine ultimi operis datur, est obtinendus, requiritur status gratiæ.

Q. 3. Utrum concedens etiam fiat particeps indulgentiarum?

R. Factâ concessione pro tota Ecclesia etiam ipse concedens obtinet indulgentias, si ex intentione obtinendi indulgentias opera exequatur, quia facta dispensatione bonorum communium toti communitati omnes ipsius partes de iisdem participant, concedens autem est pars communitatis, pro qua conceduntur indulgentiæ.

Q. 4. An quis eodem opere plures indulgentias, aut repetito opere easdem indulgentias sæpiùs lucrari possit?

R. 1. Indulgentias diversas eodem opere lucrari quis non potest, nisi illud opus repetat v. g. habet quis duo grana benedicta, quorum singulis annexa est indulgentia aliqua opera implenti, non lucratur illas indulgentias, nisi qui repetit opera: quia talia opera plerumque injunguntur ad complendam causam necessariam pro indulgentiæ concessione, nec unum opus videtur esse sufficiens ad complendas plures indulgentiarum causas.

2. Si indulgentia concessa sit sine ulla temporis limitatione: ut si concedatur indulgentia visitantibus Ecclesiam S. Petri, tunc repetitâ visitatione sæpè eandem indulgentiam quis lucrari potest, ita enim usus & consuetudo intentionem S. Pontificis declarat, si

verò

D
verò n
poris p
tia visit
vel inf
quia il
cisinte
tiam. V
Q là.
termin
que v
beat
tum,
...
confe

M
gitur e
capite
techu
res &
hume
bus ch
mo tu
est, c
tentia
vocat
infirm
nedict
ungitu
ratem
fertur h
nes alias

verò indulgentia concessa sit cum determinatione tēporis præsertim brevis v. g. si concedatur indulgentia visitantibus Ecclesiam in festo ipsius dedicationis, vel infrà ipsius octavā, semel tantum obtineri poterit: quia illa determinatio indicat, quod summi Pontificis intentio sit concedendi unicam tantum indulgentiam. Videtur esse mens S. Th. in 4. dist. 20. Q. 1. A. 3. Q. lā. 2. ad 4. ubi itā distinguit: *quandoque ad determinatum tempus datur; ut cum dicitur: quicumque vadit ad Ecclesiam talem usque ad tale tempus habeat tantum de indulgentiā, intelligitur semel tantum, sed si in aliqua Ecclesia sit indulgentia perennis, tunc quoties vadit aliquis, toties indulgentiam consequitur.*

DISPUTATIO XLI.

De Sacramento extremae Unctionis.

Multiplex in Ecclesia Dei est Unctio sacra in cap. un. de sacrâ Unct. lib. 1. tit. 1 § relata in ungitur enim summus Pontifex in capite, Episcopi in capite & manibus Chrismate, Sacerdotes oleo catechumenorum in manibus simul junctis, Imperatores & Reges oleo catechumenorum in brachio & humero dextero inunguntur, unctiones verò omnibus christianis communes sunt, quæ tum in Baptismo tum in confirmatione fiunt, postrema omnium est, quæ proximè sequitur ad Sacramentum pœnitentiæ velut quædam pœnitentiæ consummatio, & vocatur extrema Unctio, estque illa Unctio, quâ infirmus in extremis positus oleo per Episcopum benedicto sub certa verborum forma à Sacerdote inungitur, ad sublevandam animæ & corporis debilitatem; vocatur illa Unctio extrema: tum quia confertur homini in extremisposito, tum quia post omnes alias sacras Unctiones, quas in hac vita fideles